

/ Reverendissime, ac Religiosissime Pater. Venit his diebus Romam
in habitu seculari F. Joannes Orozco Hispanus ordinis S/ti Benedicti;
et cum a Summo Poenitentiario Domini Papae peteret remedium animae
suae, propterea quod metu gravioris carceris fugisset ex monasterio,
5 abjecto sacro habitu, et proinde in apostasiam incidisset; Summus
Poenitentiarius evidens eum recta venisse ad hunc locum, et esse
cupidissimum redeundi ad suum ordinem, jussit eum absolvi in foro
conscientiae; sed pro absolutione in foro exteriori remisit eum ad
vestram Reverendissimam Paternitatem, ut moris est; praesertim cum
10 hic Romae cognosci non pot^{est} sit, an vera sint, quae ipse narravit,
ac propterea in ipsis literis in pergamento scriptis, et sigillo Poe-
nitentiariae munitis additum sit, si tibi videbitur. Sed quoniam
iste Religiosus valde timet rigorem Praelatorum suorum et in magnis
angustiis constitutus est, ego praesumens de charitate et benigni-
15 tate Paternitatis Vestrae Reverendissimae, et valde metuens, ne dia-
bolus graviter tentet hunc afflictissimum Christi famulum, ausus
sum quasi mediator intercedere, et ex toto corde commendare chari-
tati vestrae periculum hujus animae, ne nimia tristitia absorbea-
tur, et pereat anima pro qua Christus mortuus est. Cogitet obsecro
20 charitas vestra, si vera sunt quae iste dicit, nimio rigore adver-
sus eum processisse Abbatem, qui eum carceri mancipavit; et cum r
rursus tetriori carceri addicere eum vellet, istum miserum monachum
occasionem habuisse timendi multo graviora, et inde nimio terrore
adductum, arripuisse fugam, et tamen non rediisse ad seculum, sed
25 R/mo Patri P. Antonio de Castro Generali ord. S/ti Ben. in Hispania.
ad sinum universalis matris confugisse. Ostendat igitur pietas ves-
tra in hunc filium suum viscera charitatis, et benigne interpretetur
conditionem illam "si sibi videbitur", et charitas ipsa faciat, ut
bonum videatur illi ignoscere, et mitigare poenas, ac disciplinae
30 Arch. Vat. Ges. 18 70 br. autog ep. fam. 177.
rigorem temperare: hac enim benignitate fiet, ut in bono proposito
magis magisque stabiliatur. Valeat Reverendissima Paternitas Vestra
mei memor in sanctis precibus suis. Romae die 27 Junii 1617.